SERENISSIMI
VValliæ Principis
M. Britanniæ & Hiberniæ,
Cum appendicibus Dominiis
Hæredis Conſpicui
GENETHLIACON.

Antequam in lucem editus, exceptis quæ ad diem nativitatis ſpectant, inſertis, præmeditatum.

Authore *RODERICO O FLAHERTY* Armigero.


Primogenitum ponam illum excelſum præ Regibus Terræ. Pſal. 88. v. 27.

DUBLINII,

Typis Andreæ Crook, *&* Samuelis Helſham, A. D. MDC LXXXVIII.

ERIA.
FO-DLA.
BANVA.
INISELGA.
INISFALIA.

Quinque prisca vernacula Hiberniæ *nomina,*
Quæ in hoc poemate pro Hibernia *sumuntur.*



Serenissimi Principis Walliæ Genethliacon,

SALVE INFANS dilecte Deo; data gratia cœlo;
Munus ave superûm; Donum venerabile sacri
Flaminis: alme puer, salve felicibus orte
Auspiciis. Aderat Triadi lux sacra supremæ;
Ex nihilo quæ cuncta tulit, prolata gubernat:
Trinus, & unus; idem numen triplicabile in uno
Tergeminum imperio nobis dimiserat unum
Quarto Idus *Juni*, festumque, sequente Columbæ
Luce sacrum Scotis regnum per utrumq; patrono.
Tertia & hora fuit; pars non reticenda diei †;
Tertia qua patribus persona apparuit igne.
Clara dies celebri fastis recolenda rûbricâ,
Natali signata tuo procedat in ævum,
Chare puer, vultu cui conjurata benigno
Sydera nascenti portendunt omnia læta.
Conspirant elementa orbis. Tibi mitior Æther
Suavibus indulgens avium per inane choreis
Plaudit, & astra poli spirant, ventiq; serenum.
Cæruleæ positis subsidunt fluctibus undæ.
Projicit Æquor opes ad littora *, Flumina summo
Stagnaq; multiplicant salientes margine pisces †.
Floribus arua nitent: viridaria gramine vernant;
Mellificant & apes leni per rura susurro.
Frondibus, & gemmis turgescens quælibet arbor
Centuplicare suos despondet tempore fructus.
Semine luxuriat Tellus, & plurima in herbâ
Messis adest avido satiem latura colono.
SALVE iterum, ô hominum quem cernere millia votis
Expetiere avidis. Salve exoptata propago:
Expectate diù venturæ pacis Alumne.
Chara Deo soboles: ingens gregis Incrementum
Christiadûm: precibus cœlis extorta piorum
Progenies. Mundi te tunso pectore gentes.
Te lacrymis cupiere omnes. Quota victima cœlo?
Thura quot Eois à finibus ad mare nostrum

† *Spiritus sanctus linguis igneis discipulis Domini apparuit hora diei tertia; qua juxta modernum computum ab horâ nonâ matutinâ ad meridiem labitur. Infra quod tempus Princeps natus dodrante post nonam.*

* *A. 1687. trecenta circiter auri & argenti librarum millia è mari propè* Jamaicam, *ubi per naufragium* Hispanicum 40 *annos latebant, expiscata, & in* Angliam *importata sunt.*

† *Cum nati Principis nuncio Culraniam quamprimum perlato tanta salmonum copia per biduum capta est, quanta à Conarii (de quo infra n. 76) nascente Christo Regis* Hiberniæ *tempore non contigit. Adeo ut è Bannæ ostio* 60. *Salmonum cadi replerentur, & apud* Carrigfergus 30 *denariis salmo venalis, sex tantum veniret.*

Oblata

Oblata? Adventum quoties data munera ad aras
Optaverettuum? Quoties ille Arbiter Orbis
Nominis undecimus, nec vano nomine dictus
INNOCUUS tensis geminis ad sydera palmis
Ad matutinas laudes, & vespere sero
Sub galli cantum, & sacra ad mysteria Missæ
Te desideriis habuit? Per templa, per urbes
Sedulus Ausoniæ rogat irreparabile damnum
Gentibus averti miseris; quas pluribus annis,
Quà patet imperium Britonum sub cardine utroq;,
Ira Dei involuit tenebris. Te Ecclesia Christi
Tota sub illius moderamine questa carere
Cœlicolûm implorat Regem desisteret ira.
Imprimis partu fœcundæ Virginis ædes
Ducissa Mutinensis. Lauretana dedit sobolis spem, cum rea voti
Vestra avia * argenti massas, auriq; talenta
Obtulerat suspensa tholo. Jejunia votis
Vota piis lacrymis commixta profudit *Hibernûm*
Pars generi devota tuo. Violentia cœlum
Ruperat, & vinci tandem dignatur Olympus:
Lassata assiduis cessere altaria votis.
Aspice, ut ipse Deus mundi immutabilis ordo,
Ut liquido ostendat sibi quanta potentia soli,
Præfixas quandoq; vices, & fœdera rerum
Solvit: inexhaustas è cautibus elicit undas:
Lambit & illæsos mediis fornacibus ignis:
Terra movetur: iter præbet calcantibus æquor:
Sol sistit cursum. Quandoq; in luminis auras
Progeniem afflictis (Donum immortale) beatam
Dimissurus, opem quæ gentibus afferat olim,
Seu rudibus quæ jura daret, seu conderet urbes;
Sive propè extinctum genus una è stirpe renatum,
Sola propagaret: non præcoce protinus ortu
Magnanimâ educit spectatos indole partus:
Sed sinit effœtam longos mœrentibus annos
Præcludi vulvam, & sterilescere feminis expem.
* Gen. 17. SARA novem vitæ decies exegerat annos
17. Cum sator Isacidûm fuerat datus Isacus illi;
ᵃ Gen. 22. Qui numero stellas, & arenas littore ponti
17. Æquavit sobolis ᵃ. Samsônem prolis & expes
ᵇ Judic. à Concepit genitrix, qui viribus *Hercule* nullis
cap. 13. ad cap. 16. Alcide inferior ᵇ. Sic Christi Prodromus ille

Gran.

Grandæva genitrice satus [a]; quo nemo creatus
Fœmineo major coitu [b]; Baptista Ioannes.
ANNA frequens templo, precibus sine murmure fusis,
Obtinuit tandem Samuelem læta Prophetam.
ANNA diu sterilis peperit grandæua [a], *MARIAM*
Millibus è reliquis quæ sola electa creatis
Est complexa sinu, quem machina non capit Orbis:
Integra, fæta, gravis Sine mole, Puerpera pœnæ
Nescia; divini genitrix, & filia verbi.
*ANNA** bis undenos mœrens effœta per annos
Lodoveum enixa est partu *DATA MUNERA* Cœlo:
Qui modo Francigenûm famam super æthera tollit.
Scilicet humanis est insita mentibus ista
Conditio, Omnipotens ut quæ profuderit ultro
Ordine naturæ, pariant fastidia, & usu
Vilescant assueta suo. Nos lumine, et aurâ
Æthereâ immemores potimur: quasi debita gratis
Quotidiana poli foret indulgentia nobis.
Ast ubi naturæ vitiatâ Lege maligno
Casu elementa Labant: si sol ferrugine vultum
In coitu obductus; si Cynthia plena laborat;
Tabida sive ferunt morbos animantibus astra,
Sive famem immodicis pluviis affecta, vel æstu:
Seu glacie constricta solo non germinat herba:
Talibus afflicti mortales casibus ægri
Lucis opem, telluris opes, tempusque salubre
Dulcia præteritæ sentimus gaudia vitæ
Si nova progenies illis foret orta diebus!
Regia cum genitrix pelagi Rectoris aquarum *
Facta nurus justas poterat complere parentis,
Quas statuit Natura vices, mirabile nullum
Id foret eventum: sed quod commune bubulcis
Et regum thalamis fatum, Haud incerta teneret
Suspensos annos dubiis ambagibus hora:
Nulla pericla forent damni, nil triste verendum
Accideret, superûm quod munere gentibus olim
Lætitiam amotum ingeminans meminisse juvaret.
In pretio rarum est: sed rerum copia vilis.
Regulus excludit bis sex: Regina volucrum
E tribus exclusis pullum sibi deligit unum.
Cum vero Genitor pietate, armisq; celebris
Qui populis late dominatus limitis expers

Terminat

[a] *Luc:* 1. *v.* 36. & 57.
[b] *Matth:* 11.11.

[a] *Ita è Patrum Scitis Hieronymus Vida Albæ Episcopus lib,* 3. *Christiadûm: Anna tamen grandæua parens. et ibidem de Beata Maria: Parentum unica proles.*

* *Anna Austriaca post* 22. *annorum sterilitatem peperit Ludovicum* 14. *Adeodatum natum* 5. *Septembris* 1638.

* *Ita Hugo Grotius Sylvarum lib.* 2 *inter inaugurandum* Iacobum, 1. *M. Britaniæ, & Hiberniæ Regem.* ---. *Tria sceptra Profundi In Magnum coiere Ducem Et* ---- Jacobo *promissa potestas cum terris, pelagoque manet. Et Finis hic est, qui fine caret. Quæ meta Britannis, Littora sunt aliis; Regnique accessio tanti est; Quod ventis, velisque patet.*

Terminat oceano imperium, Diadema resumpsit
Majorum (vitæ tum quinquagesimus unus
Masculeæ vacuum sobolis præverterat annus)
Magnum opus, et facinus non enarrabile adortus
Iura dat inuitis populis contraria latis
Legibus, antiquæ pro Relligionis honore;
Quam regum edictis truculentis, carcere; furcâ,
Exilio, mulctis, pedicis, boijsq; numellis
Gens malesuada suis dudum extirpaverat oris;
Omnibus una salus, hæc ergo frementibus una
Spes fuit, amissis solamen rebus et unum;
Regem ætate gravem senio, capuloq; propinquum
Non potuisse diu vitali vescier aurâ:
Solum unum superare brevi; pendentia filo
Tam tenui ruitura simul: superesse virilis
Spem sobolis nullam; patrijs quæ æqualibus ausis
Catholicam nobis reparando restituat rem.
  Atque ubi Læta omnes penetrarat fama per urbes,
Cum flueret regnantis Hyems jam tertia, certò
Reginam gestare uterum, parituraque Regem
Plena salutifero turgescere viscera partu;
Tanta obduratis vecordia cordibus hæsit,
Pertiquenax animis odium, livorque medullis;
Ut cum proluerent inter se guttura Baccho,
Vina coronarent, geminarent voce salutes
Ante salus omnes fuerit memoranda Ioannæ,
Quæ gremio latitat Papistæ clausa Mariæ,
Fictaq; miscebant votis oracula cassis;
PARTURIUNT MONTES, NASCETUR RIDICULUS (MUS
  Ast aliter visum superis, Acheronte fremente,
Prodiit ecce Puer fatis divinitus actus
Cambrorum Princeps, Anglorum gentis Alumnus,
Gemma Britannorum, Scotorum gloria Regni
Sydus Hibernigenum, *MAGNÆ SPES ALTERA ROMÆ*:
Post tenebras lumen, post pestes aura salubris:
Post imbres sudum, post æstus aureus Imber,
Dulce refrigerium fessis, et meta laborum.
Cujus in aduentu jam nunc horrentia Ditis
Regna tremunt, stygijs gemitumq; dedere cavernis
Eumenides, Nervis trepida infantilibus horrent
Agmina sectantum in varias distincta phalanges,
Horrendum infremuit teneris vagitibus Hydra

Impia

Impia multiplicum capitum fera, pasta cruore
Regio, & insontûm nimium rea bellua cædis.
Cunarum labor est diros superare colubros.
Ast ubi, dante deo, vires collegerit ætas
Firmior, & patrem intulerit sublimibus astris,
Sera dies, (cujus nulla immortale tacebunt
Sæcla decus) patrijs cæptis non degener hæres
Auferet errorum vestigia, siqua manebunt:
Per populos et sana dabit consulta volentes;
Prisca fides, pietas florebit, et integra passim
Relligio: ejectis honor instaurabitur aris.
Exul et alma diu terris, Astræa revisas
Incolet: immersæ longâ caligine gentes
Consilia in melius referent, alacresq; subibunt
Christi suave jugum; positisq; tumultibus ultro
Vincla ferent legum tanti sub Principis armis,
Qui veterum de more patrum circumferet acer
Marte, Palæstinas victricia signa per urbes.
Idaliam inviset Cyprum; quæ Rege Richardo,
Cesserat Angligenis pridem, Syriæq; per agros
Victor agens currum subdet Sydona, Tyrumq;
Ascolonita tremet, tremet Aconis * accola celsæ,
Quos valida Anglorum virtus obsederat olim
Longinquis premerent dum Christi incursibus hostem.
Ad scythicæ vexilla feret *M*æotidis oram
Caspia regna teret, contundet mænia Memphis
Sacrilegam exscindet Mecham, Mahometis et urnam,
Maurorum attegias, & Thracia castra recidet.
Pristina per totum recidiva Britannica mundum
Gloria consurget *SANCTORUMq*; *INSULA* tandem,
Tristibus acta modis, fatis et Hibernia iniquis
Exeret os sacrum: replebitur angulus omnis
Millibus Indigetum cellis; consuetaque; fundet
Rursus in externas doctorum examina terras:
Talia fatidici cecinere oracula vates.
Hujus in auspicium jam nunc pallentia Lunæ
Cornua Cæsareis accisa potentibus armis
Occuluere aciem; jam nunc Othomannica virtus
Languet, & inuisum superis genus occidit atrox:
Ilicet, ærumnis, lætantur ut omnia, pulsis;
Spargite Jo flores pueri, innuptæq; puellæ:
Exultent choreis præcordia; cantibus aures:

* *Acon ad tribum Aser olim spectans veteribus Ptolemais dicta, in Phœnicia Syriæ provincia urbs optime munita. in qua Ioanna filia Edwardi,* I. *Regis Angliæ, dum ibi, regnante in Anglia patre, Henrico* 3. *bellum gereret,* An. Dom 1272. *nata est.*

Lilia

Lilia ferte manu: pleno sit copia cornu:
Ferte rosas, violas, & purpureos hyacinthos,
Balsama, narcissos, fascesq; fragrantis amomi;
Regia odoriferum spirent cunabula nardum.
Aurea cognati cunis date munera reges
Ostra auro gravida, & vestes Gangetide gemma;
Sollicitæ Assyria contexant arte tapetas
Reginæ, & pueri thalamis anathemata solvant:

† 125. *Patres.*
1. *Adam.*
2. *Sethus.*
3. *Enos.*
4. *Cainanus.*
5. *Malaleel.*
6. *Jared.*
7. *Enochus.*
8. *Mathusalemus* 969. *annis viuens.*
9. *Lamechus.*
10. *Noe*
11. *Iapethus; de quo* Gen: 9. 27. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem: sitque Chanaan servus ejus.*
12. *Magog Scytharum sator.*
13. *Baath*
14. *Fenisius Farsaidh Scytharum Princeps ad Sennaar. A quo Fenisii dicimur.*
15. *Niulus.*
16. *Gaidelus; à quo Gaidelii*

Quem tria sceptra manent, queis parent regna Profundi,
Quam latè ambitas terras circumfluit humor.
Ipse ego (si cedros inter vacat ire myricis)
Serta feram gemmis contexta nitentibus, ortu
A primo carmen, quod continet ordine longo
Viginti quinos patres per quinq; † recensos
Omnes sceptriferos, aut regum stirpe creatos.
Stirps hominum, mortis radix, & origo malorum
Priscus *ADAM*; cujus de semine transit in omnem
Progeniem scelerum studium: promissus Adamo
Sethus erat serò sobolis melioris origo.
Filius huic Enos: Cainanus filius illi.
Prole sequente patrem, quo justo semine creti
Malaleel, Jared, mortisq; ignarus Enochus:
Mille prope exactis, post condita Enochus, aristis
Sæcula, transfertur Paradisi vivus in hortum
Extremo mundi, gladio periturus in ævo.
Annos progenies pia Mathusalemus Enochi
Mille, tribus decies demptis vivebat, et uno.
Inde Noe, Janum veteres dixere bifrontem
(Cujus avus, genitore Lamecho, Mathusalemus)
Humani assertor generis, viniq; repertor.
Hoc satus Iapethus; cujus fœcunda per orbem
Præminuit fratrum soboli ditione propago.
Filius est Magog Iapethi: Sator ille Scytharum,
Progenuisse Baath legitur; genuisse Baathque
Fenisium: ad Semar Princeps fuit ille Scytharum
Cum fuerint gentes, linguis Babylonis ad arcem
Confusis, sparsæ: qui tradidit arte loquendi
Normam Fenisiis; elementaque Scotica primus
Duxit, Inisfaliæ quibus hactenus utimur oris.
Fenisio dicto Farsadh natusq; Niulus,
Gadelusque nepos; à quo Gadelia gens est
Utraque Scotorum nomen sortita nepotum.

Asruthus

Asruthus hoc genitus, Sruthus illo. Scotus Heberus
Istius est soboles; à quo cognomine Scoti,
Scotia queis patria est pariter vetus, atque moderna.
Hoc satus est Begamon; Ogamon Begamone creatus
Progenuit Tatium; genuit Tatiusque vicissim
Agnomanem, Agnomanis Lamfinnus filius oris
Impiger è Scythicis committens carbasa vento,
Agnomanemque viâ per terras æquore cinctas
Defunctum mœrens longis erroribus actus
Tandem Getulis cum classe resedit arenis.
Lamfinnum soboles gradibus dominata novenis
Excipit his Lybiæ terris; ut natus Heberus
Agnomanis genitor, Febrici Glunfinnus avusque.
Nennualus Febrici natus, Nuadi pater ille.
Alladius Nuadi proles: is nobile germen
Protulit Arcadium natum, Deagumque nepotem.
Bratha satus Deago Pœnorum littora linquens
Ad Gaditanam* remis spumantibus oram
Herculei cum gente freti vada cœrula verrit
Inclytus auriferi per rura colonus Iberi.
Clara Brigantus ei soboles; quem castra Brigantum
Galliciæ tractu memorant; Gallæcia priscum
Nomen item Gadelûm retinet. Bile filius illi
Milesium genuit dictum cognomine Golamh.
Milesii hic generis, Golamæque propaginis author.
  Milesii proles Herimon, qui littore soluens
Cantabrico fratrum junctus cum classe, Danannas
Contudit imperio; Scotorum primus Iernæ
Rex fuit: Euryalum natum, natusque vicissim
Excipit Ethreolus solio. Follacius illo
Cretus erat: cujus summo diademate cinctus
Clara Tigernmasius soboles; hic fusilis auri
Eruit è scrobibus venam, cultuq; deorum
Erudiit mores populi. cui filius Enboth,
Smirgalus atque nepos, pronepos Labrannius heros
Rex Fiachus Banvæ: clarus quo rege Monarcha
Olmuchad. Æneas genitus, qui Pictica in oris
Regna Caledoniæ edomuit: qua stirpe Mainus
Progenuit Regem Rotheactum, Rege Demanus
Hoc satus est Denii genitor: Deniiq; propago

17. *Asruthus.*
18. *Sruthus.*
19. *Heberus Scotus, ex quo Scoti.*
20. *Begamon.*
21. *Ogamon.*
22. *Tatius.*
23. *Agnoman.*
24. *Lamfinnus, qui è Scyth. in Getuliam pervenit.*
25. *Heberus Glunfinnus.*
26. *Agnoman.*
27. Febricus.
28. *Nennualus.*
29. *Nuadus.*
30. *Alladius*
31. *Arcadius.*
32. *Deagus.*
33 *Bratha qui è Getulia transmisit in Hispaniam*
34 *Brigantus*
35. *Bile.*
36. *Milesius Golamh Milesiorum sator.*
37. *Herimon, ex Hispania in Hib. appulit An. M.* 2934. *R. Hib. An. Mundi* 2935 *ante caput æræ Christia. An.* 1014.
38. *Euryalus Rex Hib. An. M.* 2951.
39. *Ethreolus Rex Hib.* 2961.
40. Follacius.
41. *Tigernmasius. R. Hib. An.* 3011.
42. *Enboth*
43. *Smirgalus*
44. Fiachus *Labrannius R. H. An.* 3105.
45. *Æneas Olmucad R. H. An.* 3150
46. *Mainus*
47. *Rotheactus Rex Hib.* 3192:
48. *Demanus*
49. *Denius.*

* *Per Gaditanas undas Occidentale pelagus ingressi appulsi sunt rupibus, quæ antiqui erroris famâ Columnæ Herculis dictæ fuerant. vita S. cadroc cap.* 3. *ad* 6. Martii *apud Colgan.*

50. *Sirna Longævus* Sirna fuit summus Scotorum Rector Iernæ;
R. H. 3360. 150. Fracta acie patriis qui propulit extera ab oris
annos vivus. Agmina victor ovans decies tria lustra senescens.
51. *Olillus.*
52. *Gillchadius* Postea, patre, nepos Sirnæ regnavit, Olillo,
R. H. An. 3389. Gillchadius. Nuadus pariter regnaverat, ejus
53. *Nuadus Fin-* Finnfalius soboles, Aidanus Glassius ortum
falius R. H. An. Progenies Nuadi Breaco cognomine Regi
3410. Simoni dederat. Simone et Bolgra creatus
54. *Aidanus Glass*
55. *Simon Breac.* Muredachus regnat: Fiachus sed filius illi
R. H. An. 3467. Tolgraus exclusus solio est, Fiachique Duachus.
56. *Muredachus* Ladgraus acquirens regnum generavit Achajo
Bolgra R. H. An. E nato Hugonium præclarum Matte nepotem.
3481.
57. *Fiachus Tolgra* Rex hic Inisfaliæ, cunctorum fermè et origo
58. *Duachus Ladgra* Subregum, & regum, quos utraque Scotia fudit;
R. H. An. 3568. Atque potens peregrè sparsis per cœrula terris.
59. *Achaius.* Cobthacus huic, & Melga potens, et Hierngleo, Conla
60. *Hugonius R. H. An. 3619.* Filius, atque nepos, pronepos, pronepoteque cretus;
61. *Cobthacus R.* Tempore quisque suo, et Conlâ prognatus Olillus
H. 3665. Gingivis rugosus, Achaius atque Comatus,
62. *Melga R. H.* Æneasque nepos, patre Achajo, insignis Olilli
3696. Septeni Reges Fôdlæ moderantur habenas.
63. *Hierngleo R. H. 3721.* Æneas Fiachum, Fiachusque Marinus Olillum
64. *Conla R. H.* Protulit Erneadûm genitorem, Sinus Olilli
3734. Progenies genuit Deagum: Deagusque nepotum
65. *Olillus R. H. 3738.* Deagadûm Princeps Hiarum generavit adeptus
66. *Achaius R. H.* Momoniæ fasces. Hiaroque creatus Olillus
3768. Principe Momoniæ dias eduxit in auras.
67. *Æneas R. H.* Momoniæ Regem Eugenium; quo Principe regni
3787. Natus Ederscolius moderamine fretus Hiberni
68. *Fiachus Marinus.* Illo progenies Iniselgam temperat orta
69. *Olillus; ex quo* Conarius decies sex fausti temporis annos.
Ernai Momoniæ reges quo tres de semine; natus
70. *Sinus.* Carbreus, atque nepos Darius, proneposque secundus
71. *Deagus; ex quo Deagadæ Rex* Carbreus: hoc sata Lugadius stirps: editus illâ
Momoniæ. Stirpe Mogalamius regno successor avorum
72. *Hiarus Rex* Momoniæ: satus hoc fasces suscepit Iernæ
Momoniæ Alter Conarius: Rieda est quo Carbreus ortus.
73. *Olillus.*
74. *Eugenius Rex* Dalriedina domus reges supereminet omnes,
Momoniæ. Si seriem generis, claræque propaginis ortum,
75. *Ederscolius Rex* Vel si perpetuos spectes ab Origine fastos.
Hib. An. 3944.
76. *Conarius 1 Rex Hib. An. 3949.*
77. *Carbreus 1 Rex* *Momoniæ.* 78. *Darius R. Momoniæ,* 79. *Carbreus 2 R. Momoniæ* 80. *Lugadius:* 81. *Mogalamius R. M.* 82. *Conarius 2. R. Hib. Au. Dom. 212.* 83. *Carbreus Rieda, ex quo Dalriedini.*

Sparsa

Sparsa Britannorum sub limite Solis utroque
Imperia, hæc tantum complectitur unica Felix
Regia, quæ regum nulli concessa priorum
Obtigerant: quorum meus hæres inclytus Infans
Accrescat, vigeat, vincat, dominetur; ametur.
Carbreo eo Ulidius Riedâ prognatus avitis
Dalriedam Ultoniæ ditionem condidit oris
Fergusius: subit huic Æneas natus, Achajus
Munremarusque nepos, pronepos Ericus: et illo
Fergusius satus à Magno benedictus, & unctus
Chrismate Patricio. Novies ita quattuor arcto
Fœdere Apostolici servantes pura Senatus
Dogmata, clare puer, te præcessere parentes;
Et duo, quos miseri sors lamentabilis ævi
Perdidit heu vulsos à relligione parentum.

Fergusius bello armatis cum fratribus idem
Tranat Hyperboreum rostris stridentibus æquor:
Dalrieda atque alia est, quæ dicta *ALBANIA* priscis,
Fixa Calidoniæ, Picto cedente, sub oram;
Dives ad Arctoas quà tenditur Albion undas:
Kentiream, Gadelûmq; plagam complexa, Bradalban
Knapdaliam, Lornamque, sitas atque Hebridas alto.
Scotobritannorum hæc prima incunabula gentis
Scotorum de stirpe, vetus queis Scotus Heberus
Primitus author erat: gens Scotobritannica sed nunc
Sola (nec invideo) armisq; insignis, & arte
Pars generis quondam, communi nomine gaudet;
Et nunc communi Lætatur Scotus uterque
Uno rege novusque, vetusq; fauentibus astris.
Natorum Erici, Britonum Borealibus oris
Dalriedæ primus suscepit sceptra Loarnus [a]
A quo Lorna ferax; quem Regum fœta *STUARTI*
Progenies generis patrem sibi origine præfert.
Angusiā Æneæ [b] soboles ditione potitur,
Fergusius fratrum minimus* post fata Loarni
Successit: quinis gradidus quo stemmate Reges
Quinque; Domangardus soboles præclara, nepòsque
Gauranus, pronepos Aidanus; Achaius, atque
Domnaldus; quartus, quintusque: sed ordine sextus
Nempe Domangardus regem generavit Achajum:
Candidus Albanum Rector quo cretus Aidus,
Rex & Achajus eo: cui Rex Alpinus alumnus.

84. *Fergusius Ulidius.*
85. *Æneas.*
86. *Achaius Munremarius.*
87. *Ericus.*
88. *Fergusius à S. Patricio in Dalriedâ Ultoniæ cum fratribus baptizatus. ut in vita S. Patricii.*

An. Dom. 502. *in Albaniam Magnæ Britanniæ partem Aquilonarem cum Loarno, & Æneâ fratribus trajecit.*

[a] *Loarnus* Filius *Erici primus Rex Scotorum in Britania An.* 503. *à quo Lorna Regio dicta est, stuartorum ex illius posteris patrimonium, postea ad Argatheliæ comites devoluta.*

[b] *Æneas filius Erici; è cujus nomine Ængus, Angusia profluxit.*

* *Ita Iocelinus in vita S. Patricii cap.* 137. *et vita Septima S. Patricii apud Colganum par.* 2. *cap.* 135. Qui *Fergusius Loarno fratri successit Rex Scotorum in Britannia* An. 513.

89. *Domangardus Rex Scotorum in Britannia* An. 529.
90. *Gauranus R. Scotorum* An. 558.
91. *Aidanus Rex Scotorum* An. 574.
92. *Achaius R. Scotorum* 606.
93. *Domnaldus Rex Scotorum* An. 642.

Filius

Filius Alpini præclarus Marte Kinethus
Per juga majorum transcendens Grampia fines
Pictorum edomuit vires, & castra subegit.
Unde Caledoniæ toti dominatus adusque
Agricolæ fines, ubi linea ducta, Latinos.
E Gadelûm tractu regalem transtulit aulam
Dunmoniâ Sconam, regumque insignia avorum
Arma ibi defixit; nec non Fatale, vetustæ
Marmor, Inisfaliæ nomen quod fecerat olim.
Pictorum in solio regum diadema Kinethi
Fert constantinus natusque, neposque Donaldus,
Malcolmus pronepos, pronepote satusque Kinethus.
Scotia, Malcolmo nato regnante Kinethi,
Quà patet ad Tuedam, positosq; in limite montes
Scotorum dicta est regnum; post extitit inde
Regia Edenburgum gentis. Speciosa Beatrix
Donnchadum enixa est Malcolmi filia Regem
Crinano genitore satum: cui debita primi
Cumbria Malcolmi parebat jure paterno.
Scotica Malcolmus Donnchadi filius armis
Iura refert: hujus soboles Rex inclyta David:
Cui Margrita parens Sanctorum nobilis albo;
Saxonici Anglorum generis rediviva propago:
Scotigenûm Patrona polo, tutela tenelli
(Regia posteritas fuerit cum sola superstes)
Infantis, patrisque sui, modo qui regit Anglos.
Davidis Henricus prævertit funera patris.
Hoc Huntingdoniæ comes est sata Principe David
Progenies; quocum stirps Dalriedina virilis
Interrupta semel: nata huic Isabella, Roberto
Neustriacâ de gente Bruis denupta Robertum
Carictæ ediderat comitem: tulit ille Robertum
Scotorum insignem Regem, qui faucibus Angli
Exhaustum eripuit populum, molemque ruentis
Sustinuit patriæ. *Marjoria* nata Robertum
Dalriedinâ iterum regem de stirpe *STVARTUM*
Edidit: oppressis Anglorum hic robore Gallis
Adstitit: hinc *SCOTI* fœdus sociale perennant
Cum Gallis, Soboles, quo decedente, Robertus

94. *Domangardus.*
95. *Achaius Rex Scotorum.* 711.
96. *Aidus candidus Rex Sco.* 748. *Scotis Ethfinn dictus.*
97. *Achaius R. Sco.*
98. *Alpinus R. Scot.*
99. *Kinethus R. S. An:* 838. *R. Pictorum An:* 842.
100. *Constatinus R. Pictorum An:* 862.
101. *Domnaldus R. Pictorum:* 895.
102. *Malcolmus* 1. *R. Pictorum* 946.
103. *Kinethus Rex Pictorum* 971.
104. *Malcolmus* 2. *R. Scotiæ An.* 1004.
105. *Beatrix:*
106. *Doncadus* R. *Scotiæ An:* 1034: *Cujus pater Crinanus Rex Cumbriæ Malcolmum primum proavum prætulit.*
107. *Malcolmus* 3. R: *Scotiæ An:* 1058.
108. *David* Rex *Scotiæ An:* 1125.
109. *Henricus Scotiæ bærsante patrem An:* 1152 *obit*
110. *David, Hunt* 1219. *Obiit.*
111. *Isabella*
112. *Robertus Brusius comes Carictæ.*
113. *Robertus Brusius Rex Scotiæ An:* 1306.
114. *Marjoria:*
115. *Rob. Stuartus è Dalriedina domo R. Scotiæ An:* 1370
Bacnbuo Stuartorum sator è Loarni Scotorum in Britannia primi Regis posteris Loquabriæ

in Lorna Dynasta Alexandro, & Roberto ... ex Alexandro Scotiæ Reges Stuarti descenderunt. Atque ita Sceptrum a Loarni primi regis posteros à Fergusii fratris posteris tandem translatum est.

Inclyta

Inclyta successit. Cui successere Iacobi
Quinque throno natus post patrem quisque. Mariam
Reginam genuit quintus. Candentia regum
Lilia Francigenûm gestans diademate, et Anglas
Illa Rosas, Scythicumque rubrum, pede stante, Leonem;
Romanæ ex odio fidei de finibus exul
Pulsa Caledoniæ; captiva furore Leænæ
Angliacæ, tandem ferali pegmate eburnum
Tortori inflexit collum. *VICITQue FERENDO.*
Cognato conjuncta toro de stirpe *STVARTÂ*
Dalriedino iterum coalescere stemmate fecit
Masculeo regum fasces enixa Iacobum :
Excelsus solio Thamisini ad fluminis oram
Sceptra Britannorum qui Scotica, & Anglica in unum
Cambrorumque plagas, et Hibernica jura redegit
Imperio constricta suo, regnumque Profundi ,
Americæq ; jacet Britonum quid juris in oris.
Carolus huic soboles à Scotis venditus Anglo
(Tartareum horresco referens, enorme, rebelle ,
Perjuræ hæreseos facinus trux) chrysmate sacrum
Subdidit infami caput imperiale securi.
Nunc Caroli proles ad palmas nata Jacobus
Sceptra paterna gerit: proavæ generosa Mariæ
Progenies; sacro nascens è sanguine sanguis:
Par animi genius, virtus ambobus et æqua,
Par pietas, ardens fidei par indole feruor :
Candidus avulsâ flos è radice renascens :
Phœnicis cinere extincti de funere Phœnix.
En tibi per varios casus ab origine rerum
Deductam patrum seriem, Puer alme, tuorum :
Tempore quemq; suo, quos sors oppressit iniqua,
Prospera vel rebus fouit fortuna secundis;
Eximia aut meritos virtus evexerat astris.
Sola illis pietas, cœlestium amorque fidesq ;
Non fucata fuit decus immortale superstes.
Macte igitur pariter virtutum, crescis ut annis ;
Orte bonis avibus, fatisq; faventibus Infans ;
Unica spes patriæ, magni spes certa parentis.
Imprimis venerare Deum, reverere salutis
Pastores animæ, cole relligione severâ

116. *Rob: 3. Rex Scotiæ An:* 1390:
117. *Iacob: 1: Rex S: An:* 1406:
118. *Iacob: 2. Rex S: An.* 1437.
119. *Iacob. 3. Rex S: An.* 1460.
120. *Iacob. 4. Rex S: An.* 1488.
121. *Iacob. 5. Rex S: An.* 1514.
122. *Maria Regina An.* 1542.
123. *Iacob 6. Rex S: An.* 1567. *primus M: Brit. et Hib. Rex An.* 1603. *è Lenoxiæ Stuartis, & Roberto supradicto Banchuonis adnepote, Alexandri fratre oriundus.*
124 *Carolus* 1. *Rex M: Brit. et Hib. An.* 1625. 30 *Ianuarii An.* $164\frac{8}{9}$ *capiteplexus*
125. *Iacob.2 R. M: Britaniæ & Hiber:* $1\frac{6}{6}$ *Februa: et sexta Feria: An.* $168\frac{4}{5}$. *Dominica sequenti, quæ fuit tertia regni dies, Missam publice primò adiit. Quo eodem die* $1\frac{8}{8}$ *Februarii et quartâ feriâ ut Speed Hist: et stow chronicon habent) An.* $158\frac{6}{7}$. *ejus proavia Maria Scotiæ Regina, ne unquam postea Missæ sacrificium per Britanniæ dominia invalesceret, Lictoris manu decollata est.*

Conspi-

Conspicuos patres; lapsisq; medere ruinis.
Tardus ad arma veni, velox ad prœmia: sanis
Utere consiliis. Pius obliviscere sæva
In patres decreta tuos: Sine numine Divûm
Non hæc eveniunt. Adverte piacula pœnas
Exigere ultrices; sceleratis utique membris
Crimina plectuntur, cum Iudicis ira tremendi
Destinat in populi, regumve inquirere noxas.
Te timor ergo Dei frænet; clementia, Princeps,
Te tua victorem vincat: sed corrige causas,
Tantorum eluviem quæ congessere malorum.
Sperne breves luxus, sine fine perennia anhela
Gaudia Sanctorum. Proclivi illabere sursum
Contra naturam gressu: ne cede caducis
Naturæ illecebris: rigidum sed Heraclia tanquam
Dura silex ferrum spacio trahit usque remotum;
Attrahere ad cœli templa ardua: dirige mentem,
Quo te cunque vocat, quod de te cunque voluntas
Certa dei statuit: ceu cuspide fertur in Arcton
Nautica acus, puppem jactant quocunq; procellæ.
Cumq; Dei effigies sit Rex, ne improvidus ambi
Divinam fœdis vitiis maculare figuram;
Unde tibi, populisq; sequi vestigia semper
Principis addictis furvos habitare caminos
Æternum accideret brevis ob fallacia vitæ
Somnia. Prototypum factis imitare supremum:
Prægredere exemplo populum: quoque altius omnes
Sorte tuâ antevenis, sortem virtutibus æqua.

Peccata principum plus exemplo, quam peccato nocent Cicero lib: 3. de Legib.

Facere rectè cives suos princeps optimus faciendo docet cumque sit imperio Maximus exemplo Major est. Velleius Paterculus de Augusto Cæsare

Regius interea somno sopitus in horas,
Inter regales depastus et ubere luxus,
Pusio dum crescit; mea lux, mel, cura, voluptas.
Exorere Heroum decus, aurei conditor ævi
Inclyte præsentis, prisci reparator honoris;
Monstrorum domitor, fidei pugil; eia age, cœptis
Magnanimis invicte tuis insiste, *IACOBE*,
Norma futurorum regum, laus una priorum;
Progredere O felix: fer opem mitissime genti
Omnibus indignis per longa fluentia lustra
Casibus exhaustæ, quam mundi blanda voluptas
Nulla, nec ambitio, nec honos oppedere cœlo
Impulit, aut lucrum: quam nulla repagula legum
Degenerum valuere minis à tramite trito

Quo

Quo sacri præiere Patres terrere, vel astu:
Lucet Hibernigenûm decumanis fluctibus acta
Inconcussa fides; quam non vis, tela nec ignis,
Nec poterat ferrum, nec ferro fortior ætas
Insidiis mutare suis: non damna bonorum,
Tristeve charorum exitium subuertere quivit:
Inviolata fides, quam regum exerta potestas
(Sex licet aggressi) atque illis immanior Hydra
Sævitiâ regum victrix abolere nequibat;
Sesquidecem decies annos, * minus excipe quinos.
Te quoque nobiscum fidei (quo glorior uno)
Legibus adscriptum tandem communibus, orbis
Conditor indulsit; perpessus es unde malorum
Exiguam haud seriem pro Christi nomine. Nostros
Non ignara mali discat relevare dolores
Regia Majestas. Extinctam jam prope gentem
Catholicam, antiquam; novies tria sœcula † Fodlæ
Insulâ adhuc stantem, fulgentem pluribus olim
Regibus, et sanctis numero superantibus astra;
Assere Relliquias odii Considere cæcas
Ne patere in tenebras: lapsis bone consule rebus.
Parce pio generi: prosit generata tuorum
Regia majorum terris cunabula nostris.
Prosit et Anglorum sœclis melioribus ortos
Huc multos olim advectos coalescere in unum
Jam corpus. Gens una sumus communia passi
Funera communi pro Relligione, fideque:
Hæc Gens cum Britonum fureret Mars impius oris
Sola throni spretos fasces, et sceptra colebat:
Sola recusaret quamvis perjuria sceptro
Primatum, & sacræ jus agnoscentia mytræ.
Nos bello fracti funesto à funere Regis
Regiâ et externis desertâ prole sub oris,
Subsidii præcisâ omni spe; hostilibus armis
Pellimur è laribus patriis. invisa subimus
Servitium pars una domi: pars tradimur Indis.
Pars generosa tui fidissima pectore firmo
Per varias gentes, per prœlia, frigus, et æstum
Fortunam profugi Regis, fratrumque secuta
Obsequii præclara sui monumenta dederunt.
Nos meruisse sibi panem Rex fassus et ipse est.
Te quoque, Lux patriæ, tua regia conscia dictis

Per annos 150. ab anno 1534. ad annum 1684. demptoquinquennio Mariæ Reginæ Angliæ.

† *Gens Gaidelia per 2700. annos in Hibernia superstes ad Kalendas Maii An. primo Iacobi 2. Christi 1685.*

Pectora

Pectora contestor: nec enim sine testibus ætas
Postera conspicuis, modo quæ fert pagina, credet.
Redditus est Princeps solio, famulusque fidelis
Exulat; exultat, qui regibus insidiatur,
Miles habens agros infandæ præmia cædis.
Genti indemnatæ est Amnestia lege Negata:
Condemnandus enim legis fit lator, & author;
Qui bene præcavit, Catus omnia, nequis inesset
2d. Act of Settlement & Expl. page 51.
Scrupulus, ut Judas, Atheusve, aut quisquis ubiq;
Se Protestantem profitetur nomine, rebus
Catholicum in dubiis Causam ferat ante Misellum.
Magne Pater patriæ, quassæ spes maxima Hibernæ
Gentis, & una salus; gens semisepulta resurgat
Auspiciis rediviva tuis; succurre ruinæ,
Erige prostratos populos: pius annue votis
Supplicibus: Mundi per climata collige sparsos.
Tempus adusque tuum ne tot perfuncta periclis
Naufraga securo sine littore fragmina condi.
Per te, per Pueri nuper nova gaudia Nati,
Lætitiam &, natum quæ enixa puerpera, Matris,
Solve Draconinas intinctas sanguine leges.
Jus quoque sume tuum: quà fluctibus Eria ponti
Cingitur, in vestrum fiscum jus recidit omne:
Arbitrio dispone tuo. Qui possidet, æquo
Jure caret peculator, agros: veterisque coloni
Vi cecidit titulus: PATRIÆ PATER UNICUS HÆRES.
Totus in auspicium felix nascentis alumni
Cedat inisfaliæ dominatus: REX SIT JERNÆ.
Leges conde novas: Omnes erciscere terras
Iudicii gravitate tui: litesq; deinceps,
Et longæ ambages titulorum ab origine ductæ
Cessent: mille fori cessent onerare crumenas
Iurgia causidicûm; queis prædia sæpe clientûm
Pro stipe præda cadunt. Titulus sit solus agrorum,
Quem tua munifico diplomate gratia donat.
Sic nova perpetuo succedent sœcula in ævum
Fœdere: sic sartis, pax alma, fidesque, ruinis,
Canaque regnabit pietas: bona copia cornu
Depluet è cœlis pleno: renovata nepotum
Aurea gens omni surget memorabilis ævo.

Supplici ad pedes Serenissimi
Infantis Osculo
Dat, dicat, Consecrat.

Rodericus ô Flaherty.